Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



263

Incipiunt cantica canticorum quod hebraice dicitur Syrasirim

SCVLETVR

me osculo oris sui. quia melio
ra sunt ubera tua uino. fragrantia unguen
tis optimis. Oleum effusum nomen tuum. ideo adolescentule dilexerunt te. Vox ecclesie ad xpm. Trahe me post te. curremus in odore unguentorum tuorum. Vox sponsi ad adolescentias. Introduxit me rex in cellaria sua. Exultabimus et letabimur in te. memores uberum tuorum super uinum. Recti diligunt te. Secta de suis pressuris. Nigra sum sed formosa filie iherusalem. sicut tabernacula cedar. sicut pelles salemonis. Nolite me considerare quod fusca sim. quia decoloauit me sol. Vox synagoge. Filii matris mee pugnauerunt contra me. posuerunt me custodem in uineis. uineam meam non custodiui. Vox ecclesie ad xpm. Indica mihi quem diligit anima mea ubi pascas. ubi cubes in meridie. ne uagari incipiam per greges sodalium tuorum. Vox xpi ad ecclesiam. Si ignoras te o pulchra inter mulieres. egredere et abi post uestigia gregum et pasce hedos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus pharaonis assimilauit te amica mea. Pulchre sunt gene tue sicut turturis. collum tuum sicut monilia. Vox amicorum. Murenulas aureas faciemus tibi. uermiculatas argento. Vox ecclesie. Cum esset rex in accubitu suo. nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrre dilectus meus mihi. inter ubera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi. in uineis engaddi. Vox xpi. Ecce tu pulchra es amica mea. ecce tu pulchra. oculi tui columbarum. Vox ecclesie. Ecce tu pulcher es dilecte mi. et decorus. Lectulus noster floridus. tigna domorum nostrorum cedrina. laquearia nostra cypressina. Vox xpi. Ego flos campi. et lilium uallium. Sicut lilium inter spinas. sic amica mea inter filias. Vox ecclesie. Sicut malum inter lignum siluarum. sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quam desiderauerat sedi. et fructus eius dulcis gutturi meo. Introduxit me rex in cellam uinariam. ordinauit